



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 96. Furbinus Cardinalis a Gallis Præsulibus strenue defensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

§. XCVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1690.*Furbinus Cardinalis a Gallis Præsulibus strenue defensus.*

Verum Pontifex omnem animi aut Gallis nimium propensi aut Germanis infensi suspensionem allatis pluribus præteriti temporis exemplis, suorumque Prædecessorum gestis a se amoliebatur, simulque Cæsari respondebat, pro uno Gallo plures Austriacæ Domui addictos, atque Imperatori percharos fuisse electos. Nihilominus Romani Cardinales præsertim Cæsareæ & Hispanæ partibus addicti, contra Furbini electionem reclamabant, causantes, quod hic in censuras a Calixto III. Pio II. & Julio II. Romanis Pontificibus latus incidisset, eoquod inter illos Præsules Gallos fuisset, qui appellationem ad futurum Concilium ante biennium magno plausu multisque in Regem laudibus profecuti erant, sicque tacito saltem consensu appellationem approbassent, imo præfatus Furbinus insuper hujus appellationis tabulas suo chirographo & sigillo firmasset, proin Purpura decorari non posset, nisi exemplo Pii II, prius ipsum delicti poenitisset, suamque approbationem revocasset: Attamen Galli quantocius Furbini

Hist. Eccles. Tom. LXF. U u pa-

Sæc. XVII. patrociniū in se susceperunt, in ejus fa-
 A. C. 1690. vorem allegantes; „a Regio Procura-

„tore Instrumentum quidem appellatio-
 „nis Episcopis prælectum, sed non
 „ideo approbatum esse. Tria enim post
 „lectam appellatianem ab Episcopis
 „præstita. „

„Primo rogasse Archiepiscopum,
 „ut eorum nomine gratias Regi age-
 „ret, quod dignatus esset, Galliæ An-
 „tistites, eorum, quæ tunc temporis
 „occurrebant, monere. „

„Deinde Vota, precesque Deo ab
 „Episcopis oblata, ut Pontifici lano-
 „centio, quæ pacis sunt, inspiraret. „

„Denique Regis pietatem, & Sa-
 „pientiam commendasse, quod Eccle-
 „siæ Pastoribus sic quidem, quæ acci-
 „derant, insinuari voluisset, ut tamen
 „plenam eis libertatem relinqueret,
 „sentiendi, dicendique, quæ in rem
 „opportuna viderentur. Hæc fuisse,
 „quæ in eo Conventu Antistites Galli
 „præstitissent. Nihil hic esse, quod
 „accusationem, multo minus, quod
 „Censuras, & anathemata mereretur.
 „Quid enim justius, quam Principi in
 „Ecclesiæ Pastores tam benigno, gra-
 „tias referre? quid æquius, quam tanto
 „Regi, belli pacisque artibus, & tot
 „victoriis florenti applaudere, ac de
 „religione & Republica tam egregie
 „meri-

„meritum encomiis prosequi? Prudentia quoque, rectæque rationi nihil æque consentaneum, quam ea temporum difficultate, ita sententias moderari, ut ancipiti responso nec Pontificem arguere, nec Regem videntur. Aliud esse rem aliquam approbare, aliud silentio transmittere. Silentium enim a nullis Pontificum Censuris percussum esse, imo nec potuisse, cum sæpe ad prudentiam spectet; prudentiam vero non poenas, non censuras, sed laudem mereri. Nihil ergo a Bellovacensi commissum, quo Purpura indignus esset.”

Hæ Gallorum rationes Alexandro Pontifici adeo validæ videbantur, ut hujus Præfulis electionem omnino ratam haberet, non paucis tamen Principum sese de nimio partium studio suspectum redderet.

§. XCVII.

*Frustraneus Alexandri Papæ conatus
in componendis diffidiis cum Ludovico Galliarum Rege.*

Enimvero Alexander VIII. Papa nullum non movebat lapidem, ut veteres simultates circa Regalium, & asylorum jura componeret, ac Ludovici Regis animum sibi devinciret; spe-

Uu 2

rabat